



SUPPLEMENTUM
AD
TRACTATUM IV.
DE
SUCCESSIONE HÆRE-
DITARIA.

PARS I.
DE SUCCESSIONE EX TESTAMENTO.

CAPUT I.
De Testamento in genere.

SUMMARI A.

1. & seqq. Notatur quidam adversarius, qui nostram sententiam, quod facultas testandi ad causas profanas pro parte Clericorum per consuetudinem introduci nequeat, vellicat. 5. & seqq. Unum ex illius argumentis tangitur. 7. Religiosi non possunt facere testamentum. 8. Facilius ante professionem postea declarare possunt. 9. & seqq. Ex sola dispensatione Papa testari valent. 11. Qua non tantum ad primum testamentum coarctari debet. 12. Similiter neque

de portione, quam sibi in testamento in seculo reservavit, absque licentia Pontificis disponere valet. 13. & 14. Discutitur, ad quem illa portio spectet? 15. Omnes Religiosi capaces sunt institutionis passiva. 16. Exceptis Capucinis & Franciscanis. 17. Aded ut relicta tituli institutionis nequidem vendere permittantur. 18. De Legato relicto remissive. 19. Uti & de PP. Theatinis.

QUÆSTIO I.

Possitne per consuetudinem introduci, ut Clerici de bonis, Ecclesie prospectu comparatis, testamentum faciant ad causas profanas?

1. Ventilavi hanc quæstionem in *praf. cap. à num. 88.* secutus sententiam negativam, à Viris omni exceptione majoribus propugnata, ac rationibus planè solidis roborata. Impugnat me, aut pungit verius P. Pichler ad *tit. de Testam. num. 52. & 53.* quasi meas quatuor rationes, quas adduxeram, demonstrationes vocaverim. Quid autem ipse hoc dicendi genere demonstrat, æquioribus rerum censoribus relinquo. Nulli mihi ad gradum demonstrationis mathematicæ memoratas rationes extuli, imò nequidem id vocabulum adhibui; sed, uti & ego & alii Jurisperiti sæpius in more habemus, in vicem *eo probo*, in sensu Juridico dixi, *demonstro*. Quid ergo si dixissem, *probo*, vel ostendo, aut confirmo? Enimverò in Jure nostro nemini non perspectum est, quid in ultimis voluntatibus & negotiis aliis demonstratio significet, nempe adjectionem aliquam, quæ

res designatur *l. nominatim 34. in pr. & §. 1. ff. de Condit. & demonstrat.* Nec refert, ut Pedius ait in *l. certum est 6. ff. de R. C. proprio nomine res appelletur, an digito ostendatur, an vocabulis quibusdam demonstratur.* Saltem demonstrationes meas, si eas hoc nomine baptizare lubeat, tam efficaces fuerunt, ut ad illas Adversarius noster haud responderit, nisi per aversionem. Illius argumenta e contra à me jam præoccupata, & ut sincerus Lector æstimabit, abundè diluta sunt. Unum solummodò, quod ille ponit ultimò loco, non tetigi. Dicit enim, consuetudinem testandi ad causas profanas vel inde etiam rationabilem censerem, quòd per facultatem liberè testandi adimatur vel refrænetur Clericorum luxus, pompa, prodigalitas; item quòd alluciantur inde Viri nobiles & aliis dotibus insignes ad amplectendum statum Ecclesiasticum, si sciant, se posse suis, quos amant,

6 aliquid relinquere post mortem. At neque modò tangere volo: inferiora siquidem cenfeo ejusmodi motiva, quàm ut Sacros Canones, ex fine & principio altiori consti-

tutos, infringere, ac consuetudini contrariæ qualitatem suam primariam, ut nempe sit rationabilis, adstruere valeant; prout cuivis, obiter tantum expendenti, patebit.

QUÆSTIO II.

An Religiosi possint facere testamentum?

7 Religiosos nec testamentum facere, nec si aliquid fecerint ante professionem, illud postea revocare posse, traditum est *hoc cap. num. 114. & num. 121. cum seqq.* Fusè Eminentiss. Petra ad *Constitut. Apostol. tom. 4. pag. 151. à num. 6.* Qui tamen in *pag. 152. num. 13.* admittit, Religiosis competere facultatem, testamentum, ante professionem conditum, in passibus & articulis dubiis interpretandi & declarandi: quoniam declaratio & interpretatio voluntatis præcedentis non est actus domini, nec alteri magis competit, quàm qui ipse actum voluntariè posuit; nec etiam aliquid de novo statuit, ut qui grana ex spicis excutit per *l. aded quidem 3. §. 7. ff. de A. R. D.*

9 Non posse quoque à Religione quacunque & ejus Superioribus dispensari, ut Religiosus validè & licitè testetur, nobiscum firmat idem Card. *pag. 153. à num. 15.* Quamvis indubium sit, quòd Papa dispensare valeat nedum ad causas pias, sed etiam alias non-pias, honestas tamen, uti resolutum est à Rota Rom. in *recens. p. 8. decis. 51. num. 7. & 8. Petra d. l. pag. 153. à num. 16. & tom. 3. pag. 444. num. 41.* Ita tamen, ut Papa facilius concedat facultatem Religioso, testamentum de novo ordinandi, quàm factum in sæculo revocandi: utpote cum agatur de jure, tertio jam quæsito. Idem Petra *d. 10. 4. pag. 155. num. 27. & pag. seq. num. 28.* ubi ca-

sus practicos, & à S. Congregatione decisos, enumerat. Suppositò autem indultò Pontificiò de faciendo testamento, illud non præcisè de unico aut primo actu, sed etiam de omnibus connexis, puta secundo & tertio testamento ejusque mutatione & revocatione intelligendum esse, tradit laud. Petra *d. tom. 4. pag. 159. num. 40. & seq.*

10 Quid verò, si professus in testamento, ante professionem confecto, sibi reservaverit potestatem de aliqua portione post professionem cum licentia Superiorum disponendi? Eminentiss. Petra *tit. 1. pag. 156. num. 30.* putat, solam licentiam Superiorum haud sufficere ad disponendum; æquitatem tamen suadere, ut Papa licentiam disponendi concedat, prout S. Congregatio die 27. Junii 1699. resolvit. At, si professus, non usus hac disponendi facultate, decedat, gravis controversia est, ad quem spectet illa portio, utrum ad Monasterium, vel ad hæredem testamentarium, à professo institutum, aut testatoris Religiosi hæredes? Quam controversiam prolixè discutit *tit. Author pag. 157. num. 32. & seqq.* ac demum in *pag. 158. numer. 37. re. 14.* grèdiendò ad propositum respondet pro Monasterio, in cujus favorem professus tacitè disposuisse præsumitur: cum Monasterium aliunde succedat in omnibus bonis & juribus, ad professum spectantibus juxta *Auth. ingressus & Auth. si qua mulier Cod. de SS. Eccles.*

QUÆSTIO III.

Qualiter Religiosi possint in testamento institui?

15 Omnes Religiosos esse capaces institutionis hæreditariæ passivæ, aded ut etiam universaliter pro hæredibus institui possint, hæreditas tamen ad Monasterium spectet, res certa est. Excipiuntur in *hoc cap. num. 189.* PP. Minores, Franciscani & Capucini, qui hæreditatis, ex testamento vel ab intestato capiendæ, sunt prorsus incapaces, tam quoad institutionem universalem, quàm quoad certam quotam hæreditariam, quæ & ipsa, licet modica sit, includit titulum & jus hæreditarium, ut solidè firmat Eminentiss. Petra *tom. 2. pag. 450. num. 6. & seqq.* Proceditque hæc incapacitas per modum institutionis eatenus, ut eò titulo

relicta ne quidem vendi, & vendita in usus Fratrum applicari possint, velut idem Petrus concludit *pag. 452. num. 24.* quia venditio hæreditatis præsupponit in venditore jus hæreditarium, ac, qui semel est hæres, semper remanet hæres.

18 Quid autem sit de Legato rerum mobilium aut immobilium, breviter insinuavi in *hoc eod. cap. num. 261.* Latius verò declarat Petra *d. tom. 2. pag. 453. num. 28. & seqq.* De PP. Theatinis, quomodo hæreditatum sint capaces, & qualiter immobilia accipere, retinere, aut vendere queant, agit *tit. Petra tom. 3. pag. 31. num. 9. & pag. 359. num. 4. & seqq.*



CAPUT II. De Testamento Solenni.

SUMMARI A.

1. *Testamentum profanum de Jure Canonico nullas requirit solemnitates.* 2. *Difficultas ex cap. cum esses de Testament.* 3. & 4. *Sententia, qua duos testes pro solemnitate desiderat, proponitur.* 5. *Impugnatur.* 6. & seqq. *Responsiones contraria infringuntur.* 11. *Testamentum in seculum vim nullam habet in foro animæ.* 12. & seqq. *Referuntur dua rationes adversariorum.* 14. & seqq. *Utraque subvertitur.*

QUÆSTIO I.

Utrum ad testamentum non-pium de Jure Canonico requirantur aliquæ Solemnitates?

- C**ommunissima sententia tenet, non requiri illas solemnitates, quas præscribit Jus Civile, prout definitum est in cap. cum esses 10. de Testament. Quia tamen in hoc ipso cap. cum esses decernitur, testamenta, qua parochiani coram Presbytero suo & tribus vel duobus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma permanere; quæstio suborta est: an non de Jure Canonico saltem duo vel tres teste ac Parochus ad valorem testamenti desiderentur? Ad quam in hoc cap. à num. 30. negativè respondi. Quoad præsentiam Parochi lubens ad stipulatur P. Pichler ad cit. tit. de Testam. num. 35. sed quoad duos vel tres testes in num. 36. contra me defendit, illos, tanquam solemnitate substantialem, ad valorem testamenti esse necessarios. Cujus ratio est: quia Jus Canonicum in materia adiphora sequitur Jus Civile, ubi diversum quid expressè non statuit: atqui Jus Civile requirit septem testes pro valore & solemnitate, & Jus Canonicum solummodò ab eo diversum est quoad numerum septenarium, non verò quoad binarium vel trinarium: sicque duo aut tres testes sunt de forma & solemnitate.
- Verùm eadem ratione, quâ Parochi præsentia negatur esse de forma testamenti, negatur quoque esse de forma numerus testium: quia, si cit. cap. cum esses tantum parumper inspicitur, apparet, S. Pontificem unâ oratione seu constructione æqualiter loqui de præsentia Parochi & duorum vel trium testium: adeoque, si præsentia parochi non est de forma, neque duorum aut trium testium præ-

QUÆSTIO II.

Utrum testamentum in foro Civili, absque solemnitatibus Civilibus conditum, vim habeat in foro animæ?

- Q**uod à nobis juxta generalia, in tract. de Jure Leg. jacta principia, hoc cap. à n. 43. stabilitum est, videlicet non valere in foro animæ ejusmodi testamentum, adhuc tenemus, atque ex oppositis argumentis duo duntaxat, ab aliquo Recentiore adducta, repetimus I. est, quòd Conditores Juris Romani per suas Leges simpliciter irritandò testamentum imperfectum non fuerint solliciti de obligatione naturali tollenda, sed, transmissò forò internò, solum respexerint ad forum externum. II. quòd testamentum origi-

Et, si dicas cum P. 6 Pichler, S. Pontificem narrare tantum accidentia facti, quæ in testamento, ibidem proposito, intervenerunt, sicque tantum occasione facti facere mentionem parochi, moribundo assistentis, non verò cum intentione requirendi illius præsentiam pro valore & solemnitate: dico ego pariter, S. Pontificem occasione facti mentionem injicere de duobus aut tribus testibus, absque intentione statuendi eorum præsentiam pro valore & solemnitate testamenti. Unde, si aliunde quàm per Parochum aut testes ultima voluntas probari valeat, v. g. per certam & indubitam testatoris scripturam, in scrinio aut alio loco decenti asservatam, illa hòc ipsò valorem habebit. Siquidem constat ex toto contextu cit. cap. cum esses, mentem Sacri Legislatoris hanc unicam fuisse, testamentorum valorem reducendi ad normam Juris Divini & Naturalis: sicque, cum utroque hòc Jure nulla pro testamentis præscribatur solemnitas, sed præcisè requiratur, ut constet de voluntate testatoris, nil minùs Pontificem voluisse, quàm ut Parochi aut testium præsentia pro solemnitate & valore sit necessaria. Quin &, dum testamenta, coram Parocho & duobus aut tribus testibus facta, sub anathemate rescindi prohibuit per rescriptum, ad Episcopum Hostiensem directum; non licet tutò à contrario sensu arguere, quòd aliter facta non valeant: quia ad casum, sibi propositum, in iisdem terminis respondit.

naliter vel debeat esse creatura Juris Naturalis, vel Naturalis & Civilis simul, aut Civilis tantum: si primùm; utique obligationem naturalem pariat absque solemnitatibus: si alterum; per se clarum sit, nullam prorsus obligationem naturalem oriri ex testamento, in aliqua solemnitate civili deficiente, & sic quæstionem, an valeat in foro interno, cessare.

14. At, quod concernit prius argumentum, illud profectò nimium probare, planum & perspicuum videtur: consequitur enim, Leges Civiles nunquam obligare in foro animæ, utpote cujus curam non habent, sed præcisè attendunt ad regimen politicum & forum fori: consequitur etiam, frustra in quibusvis casibus & controversiis, occasione Legum

Civilium subortis, disceptari, an subit aliqua obligatio naturalis seu in foro conscientie, de quo Legislatores politici nullam gerunt sollicitudinem. Quod attinet posterius, pro nostra sententia, testamenti factionem ad Jus Naturale referente, jam responsum est in hoc cap. n. 53. nempe actum, ceteroquin Jure Naturæ validum, posse à Jure positivo Civili penitus irritari; eoque modò testamentum imperfectum fuisse irritatum. Illi verò, qui tribuunt originem testamenti aut Juri Naturali & Civili, aut huic soli, argumentum Adversarii pro se acceptabunt, & dicent, quòd, cum testamentum, deficiens in aliqua solemnitate Juris Civilis, nullam prorsus obligationem pariat, cesset apud ipsos quæstio, an valeat in foro interno.

CAPUT III. De Testamento Insolenni.

SUMMARI A.

1. *Levatur Card. Petra.* 2. *In testamento pio spectatur sola voluntas testatoris.* 3. & seqq. *Undenam seria voluntas sit dignoscenda?* 5. & seqq. *An & quatenus testamentum pium ad arbitrium tertii possit conferri?* 8. & seqq. *An à legatis piis detrahatur falsidia, quando causa pia est hæres instituta?* 10. *Testamentum, Judicis oblatum, solemnitates externas supplet.* 11. & seqq. *An etiam suppleat internas?* 14. & seqq. *Namve detur immisio ex Edicto D. Hadriani? Disceptatur.* 16. *De requisitis ad testamentum paternum ex Jure Codicis.* 17. *Ex Jure Novellarum requiritur scriptio aut subscriptio patris.* 18. & seqq. *Quid judicandum sit de scheda, à patre relicta?* 20. *Expediit, ut duo testes adhibeantur.* 21. & seqq. *Subscriptio debet fieri in ipsa charta testamentaria.* 23. & seqq. *Due causa circa subscriptionem & scripturam in testamento paterno.*

QUÆSTIO I.

In quo consistant privilegia testamenti ad causas pias?

- D**iscussa sunt illa in hoc cap. tit. Sect. I. ac eruditò commentariò enucleata ab Eminentiſſ. D. Cardinale Vincentio Petra tom. 2. pag. 316. & plurib. seqq. ex quo nonnulla delibare placet.
- I. certum est, omnes solemnitates Juris Civilis in testamento pio esse remissas, nihilque aliud desiderari, quàm ut constet de seria voluntate defuncti quòvis modò, etiam per scripturam testatoris, cujus manum si pars adversa non diffiteatur, res salva est; sin inficietur, devonitur ad comparationem & recognitionem scripturæ, de qua latè cit. Petra pag. 319. à num. 20.
- II. de seria voluntate nonnunquam dubitatur, nec facile potest dari certa regula, sed desumenda erit ex circumstantiis, quæ variant pro singulis ferè casibus. Card. de Luca de Testam. disc. 13. num. ult. Sic, si dixerit testator: *volo Ecclesiam N. esse heredem*, potest cenferi seria ac perfecta voluntas de præsentem, præsertim ubi testator supervivendò scripturam confecit, eamque in scrinio asservavit; potest etiam, cenferi imperfecta voluntas de futuro, pendens à facienda pu-
- blicatione & enuatione, & sic tantum esse actus preparatorius ad testamentum perfectum, suo tempore perficiendum. Card. Petra pag. 324. num. 49. & seqq.
- III. quamvis dubitetur, an de Jure Canonico valeat institutio hæredis, in alterius arbitrium collata? Si tamen instituta sit causa pia, ac v. g. quis dixerit, *facio Ecclesiam heredem arbitrio Titii*, vel *instituo illam in ea quota, quam Alevius arbitratus fuerit*, valet institutio, utpote principiis Juris Divini & simplicitati naturali haud repugnans. Petra pag. 326. num. 55. & 56. qui etiam in numer. 58. id extendit ad puram declarationem voluntatis ex parte tertii, dummodò adiat indicia & adminicula, influentia in voluntatem testatoris erga opus pium: limitat autem in pag. preced. num. 51. & seqq. quando admiscetur dispositio captatoria, v. g. *instituo Ecclesiam heredem, si & illa me instituat*; aut, *si Titius me instituat*: videtur enim adversari bonis moribus, & involvere fraudem, cujus participem Ecclesia se facere non cupit per cap. ult. XVII. quæst. 4.
- IV. juxta nostram sententiam, relata 8

in cap. 1. num. 446. à legatis piis non detrahitur falcidia: an verò hanc saltem detrahat, quando una Ecclesia est hæres instituta, & alteri legata in tanta quantitate sunt relicta, ut illi ne quidem superfit quarta? Quæstio est satis disputabilis, prout advertit Rota p. 10. in rec. dec. 11. num. 13. Authores in utramque partem recenset Petrus pag. 330. num. 78. Eminentiss. tamen Cardinali de Luca de *Legitima disc.* 34. num. 10. & seqq. probabilius videtur, non posse detrahi falcidiam: quantumvis enim nonnulli putent, in hoc casu privilegia conquassari, seu inter se compensari; attamen non bene arguant, & malè supponunt, exemptionem

causæ piæ à falcidia provenire ex privilegio, cum potius proveniat à ratione exemptionis, quam causa pia universaliter habet à subtilitatibus & dispositionibus Juris Civilis, ut dicit laud. Card. num. 11. datque rationem rationis, quòd, cum agatur de dispositionibus cum DEO, attendendum sit solum Jus Naturale & voluntas testatoris; indeque falcidiæ detractio, à Jure Civili duntaxat contra naturalem testatoris voluntatem inventa, locum quoad causas piæ non inveniat: quippe quæ etiam de Jure Civili cessat, ubi testator eam specialiter prohibuerit per *Nov. 1. cap. 2. in f.*

QUÆSTIO II.

An testamentum, illegitimè conditum, & postea Principi aut Judici oblatum, subsistat?

10 **Q**uando testamentum eò duntaxat ex capite est illegitimum, quòd solennitatibus externis, Jure præscriptis, careat, nil dubii est, quin, si postea offeratur Principi aut Judici, hoc ipsò subsistat: ad hoc enim fit talis oblatio, ut apparatus solennitatum externarum, quæ & subtiles & multiplices sunt, autoritate publicâ suppleatur. At, quando testamentum intrinsicè vitiò laborat, puta quòd falsitates concurrant, aut testator inductus vel metu adactus sit ad testandum, autoritas Principis aut Judicis defectum supplere nequit: tum quia autoritas isthæc solummodò defectus externarum solennitatum emendat & corrigit: tum quia confirmatio cujuscunque Superioris actum, ex se nullum, haud sustentat, aut jus aliud tribuit, quàm actus antea habuerit. Stryck de *Cautel. Testam. cap. 7. §. 43.* ubi affert responsum Juris Collegii Juridici Academiæ Fredericiæ de anno 1699. in quo reprobatum fuit testamentum, ab aliqua Comitissa ad acta insinuatum, quod per modum nuncupativi à Notario coram testibus in scripturam erat redactum, adscriptò aliò locò, die, &

horâ, quàm per testium adhibitorum depositionem compertum fuerit: cum instrumentum, ex una parte falsum, in totum censetur esse falsum; & testatrix, simile instrumentum offerens, illud cum omnibus suis falsitatibus approbasse reputetur.

Cum verò dubitatum fuerit, an non in casu posito hæres institutus immissionem in hæreditatem impetrare potuerit ex *l. ult. Cod. de Edict. D. Hadriani*: eò quòd testamentum vitium aliquod visibile non habuerit? Respondit iterum præfatum Collegium apud Stryckium *cit. l. §. 44.* negativè: cum enim per testium attestationem apparuerit, aliò locò & tempore testamentum ab ipsis fuisse subscriptum, quàm in testamento fuerit expressum, collatio attestationis cum instrumento demonstravit vitium visibile; quod etiam, ut directè in oculos incurrat, necessum haud est, sed pro visibili reputatur, quando in continenti probari potest, ad effectum impediendi immissionem per tradita Menochii, Sichardi, & Hartmani Pistorii apud Stryckium.

QUÆSTIO III.

Quomodo testamentum patris inter liberos ab eo scribi aut subscribi valeat?

16 **Q**uid Jure Codicis circa testamentum patris inter liberos obtinuerit, exponit Clariss. D. Joannes Sigismundus Stapf in *disser. Jurid. de Testament. non-solemn. cap. 4. §. 22.* Jure novissimo in *Nov. 107. cap. 1.* inter alia requiritur, ut pater vel ipsemet testamentum scribat, vel ab alio scriptum manu propriâ subscribat. Si ipse scribat; necessum non est, ut simul subscribat, dummodò non sit schedula informis aut præparatoria vulgò ein Concept, sed reverà contineat certam & enixam voluntatem testatoris. Stryck *cit. tr. cap. 10. §. 19.* ubi cum Cardi-

nale de Luca pro conjectura serix voluntatis tradit, si testator suam dispositionem aservaverit in tali loco, in quo aliàs scripturas majoris momenti reponere solitus fuerit; sicut & pro conjectura contraria subjicit, si inter exilia schediasmata & viles chartas eam habuerit. Quia tamen de identitate scripturæ paternæ unus aut alter ex liberis tricis movere potest, expediat omnino, ut pater saltem duos testes adhibeat, qui simul ipsius testamentum subscribant: alioquin erit deveniendum ad comparisonem litterarum, quæ, licet dicatur fallax, & ab aliquibus

bus non censetur esse idonea ad probandam voluntatem paternam, sufficiens tamen in præsentem judicatur à D. Stapf *cit. cap. 4. §. 22.* Quòd si testamentum, ab alio scriptum, pater subscribat, debet in ipsa charta testamentaria se subscribere vel in principio vel in fine; nec satis est, quòd subscribat ab extra vel in dorso, tamen si suum sigillum apponat Stryck *d. l. §. 20.* D. Stapf *§. 26.* Et, ne altercationes super hac subscriptione eve-

niant, consultum est, ut pater subscribens exprimat, se omnia quæ ibidem continentur, legisse, & approbasse. Stryck *d. f. D. Stapf §. 28.* In casu autem, quò pater literarum ignarus est, absque periculo testamenti conscriptio vix alteri committi potest. Unde securius erit, ut coram duobus testibus nuncupativè suam voluntatem declaret, eaque declaratio à Notario scriptis consignetur. Stryck *d. l. §. 21.*

CAPUT IV.

De Fideicommissò, & Codicillo.

SUMMARI.

1. Fideicommissum tacitum præsumitur ex prohibitione alienationis. 2. Ex voluntate conservandi bona in familia. 3. Ex interdicta testamenti factione. 4. Ex sublata detractioe trebellianica. 5. Ex vocatione cognatorum in defectum agnatorum. 6. & seqq. Quid in du-

bia faciendum? Consilium suggeritur. 9. & seq. Utrum hæreditas codicillis directè possit dari? Dno textus pro affirmativa. 11. & seq. Stabilitur negativa. 13. Textus contrarii diluuntur. 14. Qualiter indirectè possit dari hæreditas? Remissivè.

QUÆSTIO I.

Ex quibus conjecturis eruatur Fideicommissum tacitum?

1 **M**ultas subjicit Stryck in *tr. de Cautel. testam. cap. 21. §. 30. & seqq.* I. est, quando testator dixit, hoc vel illud castrum nuncquam ex familia alienari debere: præsumitur enim voluisse, ut ab uno ad alium de familia perveniat. II. quando expressè disponit, ut bona conserventur in familia: nam & hic ejusmodi devolutionem ab uno ad alium de familia intendisse creditur, etsi nullum verbum de fideicommissò extet. III. quando hæredi & ejus successoribus interdixit, ne de bonis quibusdam extra personas de familia testamentum faciant. IV. quando prohibet deductionem trebellianicæ, utpote quæ in alia ultima voluntate, quàm fideicommissò, locum haud invenit. V. quando cognatos vocat in defectum agnatorum v. g. dicendò: *frater meus hæres esto, cognati autem tunc succedant, si nulli ex agnatis supervenerint*: videntur namque agnati, licet in conditione positi, post fratrem vocati, & iste rogatus, ut illis post mortem hæreditatem restituat.

Quia tamen sæpe in dubium trahi potest, an verba testatoris, fideicommissum inducentia, sint consilii vel præcepti? Stryck in *§. 32.* pro cautela suggerit, ut testator aliquam causam adjiciat, cur v. g. non velit, ut bona alienentur, puta quia per ea conservatur familiæ splendor, vel quia semper pertinet ad suam familiam, vel quia commune refugium præstant familiæ.

Porro si in dispositione defuncti nullatenus appareant verba, fideicommissum indicantia, & fortè ex errore Notarii fuerint omissa, recurendum erit ad testes, qui si jurare possint, voluisse defunctum, ut castrum v. g. perpetuò maneat penes familiam, plenam fidem merentur, etiam si tantum sint duo: quantumvis enim ad fideicommissum solennitatem testes ad minimum quinque exigantur; attamen, si tantum agatur ad probandam fideicommittentis voluntatem, duo vel ideò sufficiunt, quòd ex receptissima opinione etiam per conjecturas fideicommissum probari valeat. Stryck *d. cap. 21. §. 31.*

QUÆSTIO II.

Utrum hæreditas per codicillum directè dari nequeat?

1 **Q**uòd dari possit per codicillum testamentarium, operosè tuetur P. Pichler ad *tit. de Testam. num. 23.* partim ob textum in *l. asse 100 77. ff. de Hæred. instit.* ibi: *asse 20 non distributo ita scriptum est, quem hæredem in Codicillis fecero, hæres esto*: Tertium codicillis hæredem instituit, ejus quidem institutio valet: idèò, quòd, licet codicillis dari hæreditas non possit,

tamen hæc ex testamento data videtur: sed hoc tantum ex hæreditate habebit, quantum ex asse residuum mansit: partim ob textum in *l. institutio talis 10. ff. de Condit. institut.* ibi: *si codicillis Sejum hæredem scripsero, hæres esto, non est inutilis in quovis hæredo instituto, præter filium: est enim conditionalis institutio: nec videtur hæreditas codicillis data, quòd interdictum est, ve-*